


The background of the image is a marbled paper pattern, characterized by intricate, swirling veins of brown, yellow, and green. The design is organic and fluid, creating a sense of movement across the entire surface.

13



13

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
F U L M I N E,

Q V A M,

Præside Deo optimo maximo,

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.

Ejusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.-
Batava Professoris Ordinarii, dignissimi.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & alma
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in PHILOSOPHIA Monoribus & Privilegiis
rite, ac legitime consequendis,

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES COLONIUS, J. F.

Ad diem 26 Junii, loco horisque solitis.



L V G D V N I B A T A V O R V M,
Apud Viduam & Heredes JOHANNIS ELSEVIRII,
Academix Typogr. 1681.

*Admodum Reverendis, Pietate, Doctrina atque
aliis virtutibus conspicuis Viris,*

- D.D. JOHANNI COLONIO, ovium Christi quæ Brilæ colliguntur Pastori fidelissimo ac Scholarchæ, studiorum suorum Mæcenati unico, Parenti dilectissimo, ac dum spiritus suos regunt artus colendo, honorando.
- D.D. ALEXANDRO DE MUYNCO, Cameræ pupillaris apud Medioburgenses Curatori prudentissimo, Ordinis Juratorum membro, & ad vitam Præsidi, nec non Indiarum Orientallium Societatis Directori solertissimo, rerum Indicarum causa, ad magnum Britanniaæ Regem quondam delègato meritissimo &c. Abavunculo in æternum venerando.
- D.D. MARTINO PRICKMAN, apud Brilanos Mercatori primario.
- D.D. JONÆ DE JONGH, J.U.D. urbis Brilæ Scabino solertissimo : ex affinitate Avunculis plurimum colendis.
- D.D. BERNHARDO KEPPELL, Ecclesiæ Amerongæ Mytagogæ fidelissimo, Cognato debito honore prosequendo.
- D.D. CHRISTIANO MELDER, Med. & Phil. Doctori, Matheſeos Professori, Promotori suspicioendo.
- D.D. BURCHERO DE VOLDER, Med. & Phil. Doctori.
- D.D. WOLFERDO SENGUERDIO, L.A.M. Phil. Doctori, Academiæ à Secretis.

In famosissima Lugduno-Batava Academia Professoribus celeberrimis, Philosophis acutissimis, rerum naturalium indagatoribus sagacissimis, studiorum suorum promotoribus indefessis, coequo nomine honorandis.

D E N I Q U E

- D.D. JORDANO à PAVORT, S.S.T.C. Scholæ Brilanæ moderatori indefesso, Præceptorí quondam optimè de studiorum rudimentis merito.

Hancce inaugularem disputationem in grati animi ac debiti honoris signum.

JOHANNES COLONIUS,
Sacram vult
Author.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS

D E

F U L M I N E.

Vti barbaræ nonnullæ gentes religioso cultu prosequuntur, quæ horrenda ipsis videntur, ita & ad superstitionem prona antiquitas, horrenda aut rariora que occurrebant, sine causarum finitarum concursu, à Diis immediate peragi censebat, ac in iis exponendis vel ad Deos, vel ad Dæmones refugiebat: hujus exemplum cælestes ignes, & in excelso excitati strepitus nobis suppeditant, que vel Demonibus imputabat, vel solis adscribebat Diis, non quidem omnibus, sed ex eorum numero quibusdam, usque singulis distincta immittendi fulmina potestatem. Verum cum à summo numine, & ut plurimum ministerio causarum secundarum fulmina producantur, operæ prætium duxi, naturam, horrendosque fulminis effectus, in quantum à naturalibus causis oriuntur, exponere, quo ita cause primæ in hisce, que mediantibus causis, ab ipso prorsus dependebit, efficit, potentia, & sapientia pateat.

T H E S I S I.

Fulmen, quod uti & fulgur, à fulgore dictum censetur, est flammæ è nubibus valida eructatio, sonum sibi concomitantem habens.

I I.

Generationi flammæ fulminis inserviunt particulae imprimis sulphureæ, copiosam subtilem materiam intercipientes, & ad sursum vergendum, aliorumque corporum pressioni cedendum, si puræ & sinceræ existant, aptæ: confirmat hoc sulphureus fulminis odor; flammæ fulmineæ calor, simillimus ei, qui ex incenso sulphureo oritur; montes Æolii, aliaque Vulcania loca, ut halitus sulphureos copiosiores emitentia, ita & frequentiori fulmini obnoxia; nec non sulphureus odor, quem illa spirant,

quaer cœlesti hoc igne percussa sunt, propter quem caravora animalia, sulphureos fugientia halitus, eorum carne abstinere videntur, quæ fulmine tacta interiere.

*Quali natura prædicta consistit
Fulmina, declarant actus, & iusta vapore
Signa, notaque graves halantis sulphuris auræ.*

I L II.

Nitroſæ particula, quales inter alias pulverem pyrium constituant, cum cujus incensi flamma & strepitu in multis convenit fulmineus ignis, & fragor ingens ei associatus, ob materiae suæ difficiliorem resolutionem, nimiam compactionem, & majorem ponderositatem, minus congrua ad sursum vergendum, & fulmina in excuso generanda videntur: neque censendum ad soni, fulmen concomitantis, generationem eas requiri, cum aqua in æolipila contenta & calore concusſa; incensum fulminans aurum, aliaque validum reddant sonum, nec tamen necessariò materiam nitram exigant.

I V.

E terraquo globo educuntur haec particulae vehementiori solis ignisve subterranei actione: Hæc enim corpora calorem suum hisce inferioribus communicantia, per varium, quem calor involvit, motum, partes eorum resolvit, continuatatem evertit, & unionem destruit: magis quidem hoc præstant circa corpora aquosa, è quibus copiosiores vapores, sive particulas, educunt; cum eadem aliis corporibus minus arctè innexæ, sibi mutuo non valide consolidataæ, sed fluiditatis suo motu à se invicem separataæ existant; unde & Meteorum, quæ efformantur à particulis è globi hujus massæ secretis, aquæ aliis frequentiora sunt; continuata tamen ignis subterranei, Solisque actione, dissolvuntur, & à corporibus aliis, quibus intricataæ erant, liberantur nonnullæ terrestres, & in ignem convertendæ particulae, quarum in numero sulphureæ sunt, quas fulmina generare diximus.

V. Ve-

Verum quidem est *Sulphuris partes* ex se valde subtile, volatiles, & ad eductionem maxime congrua esse, si solae existant, nec ab aliis corporibus, vel a se invicem derineantur; ast *cum propter maximam sui ramositatem, tum invicem, cum aliis facilime coagglutinentur*, ac implicentur, non nisi vehementiore, & reiterato *impulso resolvi*, & a se invicem, vel ab aliis corporibus liberari possunt; hac de causa fulmina, post aestus maximos, excitantur, iisque in locis, & anni temporibus generantur, in quibus major viget calor; rario-
ra vero contingunt temporibus, & in locis frigidioribus.

V I.

Vbi hac ratione attritæ, secretæ, à compedibus, quibus detinebantur, liberatae, & in minorem molem *resolutæ* sunt haec *particulae*, *corporum ambientium*, quibus major competit & moles, & gravitas, validiore *pressione superantur*; iisque cedendo *sursum vergunt*, donec ad illa deveniant loca, quæ occupantur à *particulis ratione ponderis & gravitatis ipsi respondentibus*, in quibus hærere necessum habent, properæ *æqualem utriusque vim & pondus*, quo unum ab alio superari impossibile est.

V I I.

Etiam in inferiore loco particula sulphurea detineri possint, si in corpora compacta, quorum molem propter sui ramositatem perforare, quorumve resistentiam superare nequeant, *incident*, vel si obris vaporibus aqueis aut terrestribus *implicantur*; quod cum præstare possint vapores una cum aëre atmospharam constituentes, ipsæque nubes, ex illis solummodo *particulis sulphureis fulmina generantur*, quæ circa nubes hærent, & ab iisdem detinentur: unde etiamsi maximo aestu torreat Ægyptus, rariora tamen, vel, uti quibusdam placet, nulla patitur fulmina; quia nulla, vel pauciores circa regionem illam nubes hærent, quæ particulas sulphureas irretiant, & implexu suo inter adscendendum detineant.

Quum vero nubiam aliæ superiores , depressores aliæ hærent, & omnes sulphureæ particulæ in fulmina convertendæ non æqualiter atterantur , comminuantur , vel ab aliis liberentur corporibus , ignes fulminei , qui generantur ex sulphuris materia in aëre subsistente , propter æquale sui cum eodem pondus , vel quia vaporibus nubem constituentibus irretiuntur, in eadem à terra distantia non efformantur , neque ex vaporibus in eadem altitudine hærentibus semper excutiuntur : hinc & pro varia sulphuris subtilitate , & diversâ nubium elevatione , fulmina è depresso vel excelsiore aëris plaga excuti animadvertisimus.

I X.

Sulphuris materia versus nubes hac ratione delata , dum ibidem hæret , flammam concipit , id est , incenditur , si quando inter plures intercepta nubes , ab iisdem sufficienter comprimatur ; quatenus per compressionem illam subtile particulæ , quæ ramulis , vel poris exhalationum sulphurearum implicitæ existunt , impeditæ in suo motu , quem antea liberius perficiebant , diversimodè repercutiuntur , ac reflexæ in se invicem irruunt ; unde primo partium sulphuris attrito , deinde effervescentia , & flamma oritur , ut in fœno , quod madidum horreo impositum est , particularum subtilium , ejus poris nonexistentium , libera agitatione impedita , ignis & flamma concitatur ; magis èam ad inflammationem disposita est sulphuris , quam fœni madidi materia . Sulphuris substantia (celeberrimi Willissi verba sunt cap. 2. de Ferm.) Licet minus subtilis , tamen majoris ferocia & effrangementis est , quam sunt spiritus . Evidem hujus corporculara leniter commota , digestionem & maturitatem , dulcedinem , & qualitates plerasque perfectivas rebus conciliant : paulò intensius exagitata , calorem & qualitatum excessus ac inordinationes , imprimisque rancorem inducunt ; impetuosis vero concita , corporis dissolutionem , imo flamman , & conflagrationem inferunt .

Afferti veritas eo adstruitur, quod aëre nubibus densis obpresso fulmina è celo nonnunquam eructent; eodem autem puro & à vaporibus liberato existente, haud generentur fulmina, facit hoc Lucretianum illud.

Fulmina gignier è crassis alteque putandum est:

Nubibus extructis, nam cælo nulla sereno,

Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.

Hinc & Ægyptum fulminibus minus obnoxiam videmus; & in Æthiopia fulmineum ignem produci vel non contingit, vel si evenerit, prodigiū loco habetur, cum à pluvia & nubibus immunis habeatur; inde etiam fulmina pluviam, è nubium resolutione ortum ducentem, sociam sibi frequenter habent, nubesque in ea cœli plaga detegere solet visus, è qua emittuntur fulmina.

X I.

Nubibus includi, ab iisdem comprimi, & ad conflagrationem comprehensione nubium sollicitari potest materia fulminis, contrario nubium versus se invicem motu; quo sit ut ventis ab oppositis plagis spirantibus, iisque in se mutuo adactis nubibus, fulmina haud raro excitantur, ventorumque vicissitudo fulminum è nubibus eructationem frequenter sequatur: vel nubium præcipitatione, qua, dum superiores gravitate sua deorsum ruunt, inter eas & depressiores igniferi fulminis materia intercipientur, ac comprimitur, earundemve disruptione à fulmine orta, qua disruptæ nubis partes, dum in viciniores impelluntur, includunt ignitas particulas, inter ipsas hærentes, easque valida pressione in fulmen convertunt; unde excita ta semel nubium collisione, fulminis flamma, cœlique strepitu, ea multiplicantur nonnunquam; aut cum nubes celeriore agitata motu accedit ad aliam quiescentem, vel tardiori in motu constitutam, uti, cum nubes aliæ alias assequuntur, fulmina oriri experientia confirmatur; vel quando copioiores aquei vapores sulphureos halitus sibi permistos habentes, eosdemve in aëre obvios reperiuntes, dum sursum vergunt, incident in nubem densam in aëre hærentem, illorum ulteriorem versus superiora motum impedientem; aliisve modis ad hosce facile reducilibus.

X I I.

*Vbi igitur materia nubibus inclusa, & ab iisdem compressa flammam
hac rationem concepit, etiamsi è quacunque nubium parte æquili-
ter videatur posse eructare, tamen, quia corpora facilius superare,
& removere valent illa, quæ minus eorum resistunt motui, quam
quæ majori pollent efficacia, potius ex illa nubium plaga eructa-
bit fulmen, quæ ejus motui minus infert impedimentum, quam ex alia;
haud secus quam experientia docet, globum tormento impositum,
è bombarda, incensi pulveris pyri efficacia facilius excuti, &
flammam ibidem exsilire, quam tormentum rupturam patitur, &
flamma ex aliis erumpit partibus.*

X I I I.

*Quamobrem, ubi flammæ fulmineæ exitus facilitatur, præpara-
tur, nubiumque continuitas dissolvitur, à turrium, montium, ar-
borum, malorum navium, aliorumque corporum summitatibus, à
quibus, cum in illas, irruunt nubes fulmineo igne gravidæ, ex-
dem disruptuntur, findunturque, ibidem potius, quam alibi, ful-
mina, dilacerando nubes, eructabunt; unde & fulminis flamma
excelsiora corpora magis obnoxia, quam alia; tritum est illud Ho-
ratianum,*

Feriuntque summos.

Fulminis montes.

Suffragium huic fert Seneca, cum inquit, *fulmina cacumina mon-
tium ferire, quia opposita sunt nubibus, & è cœlo cadentibus per hec trans-
sundum est*; cui addi potest hoc Lucretii,

Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque plus.

Montibus in summis vestigia cerminus ignis.

X I V.

*Quum autem modo plures, nunc pauciores particulæ in ignem
convertendæ à nubibus intercipiantur, eaque interdum validius,
minus etiam efficaciter nonnunquam ab iisdem comprimantur, eru-
ctatione flammæ nubiumque disruptione, & fissura, earum frag-
menta sègniori aliquando motu procedunt, & in vicini aëris partes
fine*

sine notabili *ramalorum ejus inflexione* adiunguntur; unde flamma sine
sono eructa, quæ *fulgur* dicitur.

X V.

Nonnunquam vero disruptæ *nubis partes* in materiam ambientem
tanta cum rapiditate *impelluntur*, ut *aëris ramuli inflexionem & reflec-*
tionem patientur, *iisque sonus excitetur*, qui *tonitru*; dicitur, quod ubi
evenit exsiliens *flamma fulmen* vocatur; aliud enim inter hoc est fulgur
non intercedit discriben, quam quod fulmen majorem materiæ
condensationem, compressionem, vehementiorem è nubibus
eructationem, sonitusque sensibilis excitationem requirat; fulgur
autem contingat, à materia rariore, minus compacta & compres-
sa, proinde minore cum impetu nubes dilacerante, ac ex iisdem
eructante; quare & sine sensibili sono contingunt fulgurationes,
ac frequentius quam fulmina oriuntur; facilius enim minor validæ
materiæ compactio, quam validior oritur.

X V I.

Sonus ille quem fulmen concomitari diximus, *quum ex particu-*
larum aerearum inflexione & refilitione originem ducat, eaque à nu-
bium disruptione, & in aërem impulsione contingent, *necessæ est*,
ut simul cum flamma è nube *excussa generetur* strepitus; cum illa ex-
cuti nequeat, quin eodem tempore partes nubium recedendo à se
invicem, locum efacere, & versus oppositas plagas impelli de-
beant, unde fragor oritur.

X V I I.

Prius tamen *oculus* *flammam cernit*, quam *sonitum auris recipit*; quia
particulæ luminis propagation, & lucis repræsentationi inservientes
propter sphæricam sui figuram, & molis parvitatem, facilius mo-
veri possunt, quam aëreæ, quæ & majores, & ramosa figura donatæ
sunt; ut & quia ad luminis propagationem minima translatio par-
ticularum subtilium secundum lineam rectam invicem responden-
tiū sufficit; sonus autem reciprocā materiæ æthereæ compres-
sionem,

sionem , & dilationem , sive inflexionem & resiliationem requirit , quibus auris tympanum rite afficiatur.

X V I I I .

Fulmina ubi nubibus sunt excussa irregulariter , cum variis incurvaturis & inflectionibus per aera procedunt , propter nubes densiores , numerosioresque vapores eo tempore aerem obsidentes , quo fulmina conspiciuntur , & inaequalem eorum per coelum diffusionem ; quoniam corpora quae in motu sunt constituta eo versus vergunt , ubi minimam patiuntur resistentiam ; ipsaque micantia fulmina diversissimum in motu suo impedimentum offendunt , quo ab una plaga versus oppositam repercutiuntur.

X I X .

Ex natura fulminis , prout illa a nobis hactenus exposita est , variis mirandosque effectus ejus deducere facile est . Sulphureos enim si consideremus halitus , (quales illi sunt qui materiam fulmini generando suppeditant) cum inficiunt vas , cui vinum recens , & ad fermentationem prouum , est infusum , efficere ne fermentationem subeat vinum illud , ramulis suis partium laxitatem evertendo , partes ipsas coagglutinando , & ne subtile spiritoſe particulae in motu vindicentur , efficiendo ; uti cerevisia ex hordeo crudo & nondum germinante parata difficulter fermentationem admittit , quia particulae activae , & subtile non facile crassioribus extricantur , & moventur ; facile intelligimus cerevisiae aliorumque corporum quorundam fermentationem , a fulmine , similes ejusmodi particulas sulphureas ipsis communicante , iisque mediantibus particularum spirituosalium motum retardante , aut sistente , posse everti , & acescentia reddi ; remedium autem huic posse adferri malo , si ab igne vasi supposito , partes ejus laxentur ac disjungantur , particularum spirituosalium , cerevisiae inexistentium , motus adjuvetur , coagglutinatio partium , a particulis sulphureis oriunda , impediatur , & majori pororum amplitudine , liberior sulphureis halibus transitus concedatur .

X X.

E subtilitate materiae fulmina constituentis, & valida illius impulsione, quam præ fulgore exigunt, sequitur maxima fulminum activitas, summaque vis penetrandi; hac, si incident in corpora duriora, transitum liberum fulmini denegantia, eadem vel diffingunt, vel liquant; cum & partium antecedentium reflexio à subsequentibus particulis fulmineis impediatur, & nullibi activitatem suam magis exerceant corpora, quam ubi in motu suo impedimentum patiuntur; ita Seneca, Valentiora, quia resistunt, vehementius fulmen dissipat, cedentia nonnunquam sine injurya transit, cum lapide ferroque, & durissimis quibusque configit: quia viam necesse est per illa impetu querat; itaque facit viam qua effugiat; teneris & rarioribus parcit, quamquam & flammis opportuna videantur, quia transitu patente minus sœvit.

X X I.

Si vero fulmina incident in corpora poros patulos habentia, iis integris manentibus, pereadem motum suum continuare poterunt; inclusa autem si hisce fuerint corpora, particulas fulmineas liberè non transmittentia, illæsa corporibus porosis, hac, quæ illis continentur, nonnunquam resolvuntur; hinc integris manentibus loculis aurum & argentum iis contentum liquat; illæsa carne ossa diffingit, & vagina integra ensem dissolvit, cuius exemplum vidisse se Muretus his verbis refert; mihi contigit, ut paucis mensibus antequam Hippolytus Cardinalis Ferraiensis, qui ita de me meritus est ut perpetuo anima ipsius bene precari debeat, ex hac vita discederet, fulmen in Palatum eys decidens, ad mea usque pervenit cubicula, ibi gladius, qui ad lectum unius e famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum prossus illæsa vagina converterit.

X X II.

Quod superstite grævida aborium procurasse dicatur fulmen, illud terribi, quem fulminis flamma, vel horrendus tonitru sonitus gravidis incutit, imputandum potius videatur, quam judicandum ab ipso effici fulmine; interim, cum fermentationem liquorum sua activitate immu-

immutare queat fulmen, negare prorsus nolim, sanguinis, aliorumque humorum fermentationem, & motum ita posse alterari, ut abortus fiat. Verum si sit quod refert Plinius, Marciam Principem Romanam gravidam, partu fulmine exanimato, citra ullum incommodum vixisse, imputari illud poterit, vel resistentia majori, quam offendit fulminis materia cum in partum incideret, vel viscositati, aut glutinositati partium fætum involventium, aut continentium, eaque fulmineam materiam detinentem, quo factum, ut ibi, non alibi suam exercuerit activitatem cœlestis ille ignis.

X X I I .

A nubium in se invicem impulsu, qui fulminis eruptione efficitur, pluvie fulmina sèpissime concomitantes, vel subsequentes, orientur; quatenus ad actione illa, vapores qui nubem constituunt, in se invicem irruendo conjunguntur, condensantur, pluresque uniti guttulas constituunt, qui gravitate sua decidendo pluviam efformant. Reliquorum fulminis effectuum, eadem ferme, quæ horum ratio esse videtur, ac simili modo ex natura ejus elicere poterunt.

X X I V .

Quæ de iis, in quæ vel fulmina nullam haberent potestatem, quæve ut remedia arcere possent eadem; quorum in numero habentur homines dormientes, aquila, hyæna, vitulus marinus, laurus, corallium, brontia lapis, ut & hyacinthus, fabulis annumeranda censeo; quis enim pro certo habeat (verba sunt Scaligeri) tantam vim arceri posse tantulo frustillo, nescio cuius vitri? ejus presentia Jovis iram debilitari, absentia ejus aut amotione resumere vires, ac animum suum colligere fulmen?

F I N I S.

